

propter hæresim decesserant, postquam respuerunt, misericordiam petentes fuerunt in suis gradibus, & honoribus, sive nova ordinatione recepti, sicut habetur in cap. Convenientibus, 1. quæst. 5. Si tamen Episcopalem ordinem per hæresim amitterent, oporteret eos, quum ad Ecclesiam redirent, iterum consecrare. Rursum, ordinatorum ab Episcopis hæreticis qui veram Ecclesie formam in ordinatione servaverant, Ecclesia præcepit, ut non iterum ordinarerent, sed in suis persisterent gradibus: ut clarissime habetur in cap. Ordinationes, 9. quæst. 1. Et expressius hoc definitum fuit in septima generali synodo, cuius definitio habetur in cap. Convenientibus, 9. q. 7. Non enim hoc censeret Ecclesia, nisi illa sensisset Episcopum, quamvis obstinatissimus fiat hæreticus, suam semper retinere ordinis potestatem. Quia licet ritus ille consecrationis quo Episcopus consecratus sit iure humano institutus, tamen potestas quæ Episcopo in illa consecratione datur, à Deo solo & non ab homine illi donatur. Demum, hoc probatur testimonio beati Augustini, qui lib. 2. contra Parmenianum de hac re disputans, sic ait: „Nam si ex ipsa parte venientes, etiam Præpositi, qui pro bono pacis, correcto schismaticorum errore, suscepti sunt, & si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt tamen rursus ordinandi; sed sicut baptizatus in eas, ita ordinatio manet integra: quia in præcissione fuerat vitium, quod unitate pacis est correctum: non in sacramentis quæ ubicumque sunt, vera sunt: & cum ipsi expedire videretur Ecclesie, ut præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrarent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent etiam super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramentis, to fiat injuria.“ Hæc Augustinus. Et citatur à Gratiano in cap. Quod quidam, 1. quæst. 1. Forte contra ista quis mihi obiiciet capitulum illud Daibertum, quod habetur 1. q. 7. in quo Urbanus Papa dicit, Daibertum à Nezelone hæretico Episcopo ordinatum, nihil recepisse, sed esse iterum ordinandum. Et rationem reddens idem Papa ait: Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Hæc Urbanus. Unde aperte sequitur quod Episcopus ille Nezelon factus hæreticus amiserat Episcopalis ordinis potestatem. Huic argumento respondet ibi glossa in principio capituli, hoc ideo Papam decrevisse, quia Daibertus ille non fuerat in forma Ecclesie baptizatus, & ideo merito censuit illum nihil recepisse, esseque iterum ordinandum. Per hanc responsionem licet glossa satisfacere videatur pro reiteratione ordinationis, non tamen satisfacit verbis illis, in quibus Papa reddit rationem illius reiterationis, sic inquit. Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Ex quibus verbis constat Papam sentire Nezelonem Episcopum hæreticum non habere potestatem conferendi ordines. Quapropter dico Nezelonem illum hæreticum nunquam fuisse Episcopum, quia ab alio Episcopo hæretico extra formam Ecclesie fuerat consecratus. Et ita rem contigisse, narrat, quiquis ille fuit, qui casum illius capituli ante verba glossatoris descripsit. Quo eventu, constat Nezelonem illum nihil ab alio Episcopo recepisse: ac proinde nihil habere, quod Daiberto conferre potuisset. Secunda conclusio. Papa potest prohibere Episcopis executionem ordinis Episcopalis circa sacramenta: sive hoc faciat particulari prohibitione, sive generali lege omnibus Episcopis prohibens, ne ordines

faciant, aut confirmationis sacramentum administrarent. Quia facta prohibitione, Episcopus contra illam prohibitionem ordinans aut confirmans, peccaret sic faciendū, quamvis ea quæ fecerit, sint pro raris habenda, nec oporteat illa iterum facere. Ad hujus conclusionis probationem valere potest ratio illa, quam supra ex Innocentio, & Panormitano adduximus pro usu opinionis confirmationis, quæ huic proposito valde servare potest, cum tamen pro alio nihil efficiat. Papa obediendum est in omnibus quæ non sunt contra fidem & legem Dei: Episcopo esse interdictionem executionis ordinis Episcopalis, non est contra fidem, neque contra Dei leges. Quia licet de jure divino sit (ut diximus) quod Episcopus recte ordinatus habeat Episcopalem potestatem, non tamen est de jure divino quod illam potestatem semper exerceat. Quo fit, ut possit illi per superiorem prohiberi, ne illam exequatur. Ad probationem opinionis Innocentii & Panormitani, non potest hæc argumentatio ullo modo juvare. Quia Episcopum conservare potestatem ordinis semel acceptam, est fide Catholica tenendum, cum sit illi à Deo concessum: quapropter præceptum Papæ nihil in ea re efficere valet. Exercere autem semper potestatem illam, non est divino jure mandatum, & ideo circa illud quidquid voluerit Papa efficere poterit. Deinde, non est in potestate Episcopi situm, habere, vel non habere potestatem ordinis Episcopalis: quia hoc à voluntate Dei pendet, qui sicut ille solus hanc potestatem dedit, ita solus auferre potest. Nihil ergo agit ad hanc rem Episcopi obedientia: quia sicut Papa non potest Episcopo præcipere quod non est in illius arbitrio situm, ita nec Episcopus tenetur obedire in his quæ sunt voluntatis Imperio non substant. At Episcopalem ordinis potestatem exercere, vel non exercere in voluntate Episcopi situm est: quia cum vult potest exercere, & cum vult potest omittere. Et inde consequens est, ut Papa possit hoc prohibere Episcopo, & Episcopus tenetur Papæ prohibenti obedire. In hoc tamen laudandus est Innocentius, quod (ut de illo Panormitanus in præfatio capitulo refert) dicit non esse tolerandam talem prohibitionem, si Papa sine magna causa legem universalem facere vellet, qua omnibus Episcopis prohiberet sacramentorum ordinis, & confirmationis executionem. Quia talis prohibitio esset incommoda toti Christianæ Reipublicæ, & totum illius statum turbaret, & in talibus, quæ universalem Ecclesie statum perturbant, dicit Innocentius Papam non esse audiendum, sed resistendum esse illi per universalem Ecclesiam. Ex hac secunda conclusione deducitur hæreticum Episcopum non posse recte exequi Episcopalis ordinis potestatem circa administrationem ordinis aut confirmationis, quia est illi per Ecclesiam interdictionem, ut patet in cap. Dicimus, & cap. Pudenda, 24. q. 1. Si autem contra Ecclesie prohibitionem, servata tamen debita forma, & recta adhibita intentione, aliquem aut confirmaret, aut sacerdotio consecraret, quamvis rata esset ordinatio aut confirmatio per illum facta, ipse tamen peccaret, & quidem gravissime talia sacramenta ministrando. Tertia principalis conclusio. Papa potest tollere ab Episcopis eam potestatem ordinis, quam habet circa sacramentalia, ut puta consecrationes altarium, consecrationes calicum, benedictiones vestimentorum necessarium ad Missæ celebrationem. Hæc omnia facere quamvis omnibus & solis Episcopis sit concessum, non tamen hoc illis iure divino competit, sed humano. Nihil enim horum Christus instituit, sed successu temporis sunt paul-

paullatim ab Ecclesia instituta. Quod autem solo jure humano solidatur, ab hominibus qui jus ipsum condiderunt, aut ab illis qui in illorum locum & potestatem successerunt, poterit tolli. Constat autem Papam, qui nunc est, non minorem in Ecclesia habere potestatem, quam alii summi Pontifices qui illum præcesserunt. Ergo sicut Pontifices prædecessores illa omnia ab Episcopis faciendā esse decreverunt, ita posteriores Pontifices poterunt dicere ut nihil illorum Episcopi facere possint. Præterea, sicut Ecclesia illas omnes consecrationes & benedictiones olim statuit, ita etiam nunc illas omnes potest in universam abrogare, ita ut sine omnibus illis Missæ celebraretur. Quibus abrogatis, constat simul esse Episcoporum potestatem hac in re profus abrogatam. Quoniam tunc nihil magis efficiet Episcopus, quam quivis alius sacerdos, si uterque eadem super altare aut calicem, faceret & diceret. Nam Episcopus nunc consecrando aut benedicens illa, hoc solum efficit circa illa quod facit illa esse apta instrumenta ad aliquod opus efficiendum per illa, sine qua consecratio aut benedictione non illa essent apta ad illud. Sed abrogatis illis consecrationibus & benedictionibus per Ecclesiam, illa instrumenta, seclusis omnibus illis, essent ad illud opus efficiendum apta. Non plus ergo tunc faceret Episcopus illa consecrando aut benedicens, quam quivis alius sacerdos. Ex hac eadem ratione vincitur Papam posse hanc potestatem circa sacramentalia, quæ nunc solis Episcopis reservantur, omnibus aliis sacerdotibus concedere: ita ut ex concessione Papæ possint consecrare Ecclesias, altaria, aras, calices, patenas, & reliqua hujusmodi quæ sunt solis Episcopis reservata. Quia cum omnia illa ex solo jure humano pendeant, Papa, qui supra totum Ecclesie jus plenum habet potestatem, poterit illud pro libito, cui placuerit, dispensare, quamvis male ageret, si tam inveteratam Ecclesie consuetudinem profus tollere vellet. Ex eadem ratione etiam deducitur, ut (juxta opinionem eorum qui dicunt minores ordines non esse sacramenta, nec divino jure instituta) Papa possit illorum ordinum collationem & ab Episcopis auferre, & aliis sacerdotibus concedere. De hæreticis Episcopis quid sit in hac parte sciendum ex dictis facillime constare potest. Certum quidem est Ecclesiam posse ab illis hanc potestatem auferre: & juxta potestatem quam habet, illam fecisse constat ex cap. Ecclesiis, & duobus sequentibus capitulis, de consec. dist. 1. Ibi enim præcipitur ab Arrianis consecratas Ecclesias iterum consecrari. Attamen glossa ibi in cap. Ecclesiis, dicit hoc esse intelligendum, si formam Ecclesie non servassent, quoniam si illam servassent, dicit non esse iterum consecrandas. Sed re vera fallitur glossa, quia in cap. Ecclesiis, aperte dicit verus esse iterum consecrandam Ecclesiam quæ consecrata esset ab eo qui non habet fidem Trinitatis. Credo certe Glossam inde fuisse deceptam, quod putavit idem profus sentendum esse de sacramentalibus, quod de sacramentis, cum tamen lata sit inter illa differentia. Quia consecrationes sacramentorum pendunt ex jure divino: & inde event, ut potestas quam sacerdotes aut Episcopi super illas habent, non possit ab illis auferri. Potestas autem super sacramentalia ex solo pendet humano jure, & ideo Ecclesia quæ hoc jus statuit, poterit illam potestatem ab Episcopis auferre, ita ut consecrationes nihil efficiant, præsertim ob tam grave crimen quale est hæresis. Et idem mihi videtur de aliis consecrationibus & benedictionibus aliorum sacramentalium esse dicendum, ut sunt consecratio ca-

licis, benedictiones ornamentorum & vestimentorum. Nam de similibus idem est judicium; neque huic sententia obstat quod dicitur in cap. A nobis, de sacramentis non iterandis. Illic enim Papa ideo decernit, altaria non esse iterum consecrandā, aut vestimenta iterum benedicendā, in quibus aut cum quibus presbyteri degradati celebraverunt, quia omnia illa vere consecrata aut benedicta erant, & ideo noluit ut iterum consecrarentur, aut benedicerentur. At quod ab hæreticis circa illa sacramentalia factum est, Ecclesia censet nullius esse roboris & momenti: & ideo necessarium est ut fiant ab eo qui illa omnia exercere valet. Sed tunc merito inquirere quis possit quo nomine sit censenda hæc Episcoporum potestas, quam Episcopi habent circa sacramentalium consecrationem aut benedictionem. Non est certe dicenda potestas jurisdictionis, quia per illam nec aliquem punire, nec sententiam aliquam dicere potest. Si potestas ordinis dicitur, erit necessarium fatendum, esse aliquam ordinis potestatem, quæ sit auferibilis per Ecclesiam. Quod ergo beatus Thomas dicit in 2. 2. q. 39. art. 3. Potestatem ordinis esse indelebilem, est interpretandum de sola potestate ordinis quæ est circa sacramenta, de qua solum in illa quæst. tractabat.

## CAPUT XXIII.

An Episcopus effectus hæreticus, sit eo ipso privatus omni potestate jurisdictionis, etiam si sit Papa.

De potestate Ecclesiastica inquirere & disputare cepimus, an omnis talis sit per hæresim, eo ipso ab hæretico ablata, & de potestate ordinis jam factis per duo capitula differimus. Nunc superest de potestate jurisdictionis pertractare, an illam ipso jure amittat Episcopus aut Papa, si fuerit hæreticus. Quæ quidem questio unum præsupponit, & aliud quærit: Præsupponit quidem Episcopum & Papam posse effici hæreticum. De Episcopo nullus unquam dubitavit: quoniam multa & certissima experientia compertum est, plurimos Episcopos fuisse hæresarchas, nedum hæreticos. De Papa vero an possit esse hæreticus, questio est inter Theologos controversa, & pars quæque Catholicos & doctissimos habet patronos. Quam questionem ego nunc pertractare nolo, neque volo de illa aliquid definire, præter id quod supra lib. 1. cap. 6. dixi, Papam videlicet, ut publica & communis est persona, in dandis toti populo Christiano fidei decretis non posse errare, ut tamen singularis & privata est persona, posse in fide errare, & effici hæreticum. Nam (ut cæteros omittam) de Honorio hujus nominis primo non potest ambigi illum fuisse hæreticum, cum fuerit in sexta generali synodo de hæresi manifesta damnatus, & hæreticus proclamatus. Ob quam causam eadem sexta synodus in qua Legati summi Pontificis aderant Theodorus & Georgius presbyteri, & Joannes Diaconus, pluries dixit illi anathema, ut constat ex ultima actione ejusdem sextæ synodi: quam quidem sententiam Leo tertius hujus nominis Pontifex ratam habuit, ut apertissime constat per epistolam ejus, quam de hac re rescripsit ad Constantinum Imperatorem, in qua non semel appellat eum hæreticum. Hanc qui legere volet, reperiet in secundo romano Conciliorum generalium, statim post ultimam sextæ synodi actionem. Scio tamen esse aliquos, qui Honorii causam suscipientes illum exulare nituntur, inter quos unus, & præcipuus



cum sit hora diei tertia. Si pro se solo respondere voluisset, dixisset: Ego ebrius non sum. Sed quia tunc jam omnium curam gerebat, pro omnibus respondere decrevit, dicens: Hi ebrii non sunt. Non ergo pro omnibus, sed pro se solo respondit, quum dixit: (Matth. 16.) Ego dico quia tu es Christus filius Dei vivi. Ille solus respondit, quamvis omnes fuissent interrogati, quia ferventior quam in corde retinebat fides, non potuit se intra cordis latebras retinere, quemadmodum exteriorum Apostolorum fides, quæ quoniam tepidior erat, non prorupit in publicam confessionem. Sed de hoc, quia forte jam plus satis diximus, opus est, ut ad reliquum Petri processum investigandum pergamus. Christus salvator noster jam passioni proximis, prævidens Apostolorum animos post suum discessum fore turbandos, Petro injungit, ut illos in fide confirmet, sic dicens: (Luc. 21.) Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut vibraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ecce primum Papæ officium, quod Deus tunc Petro commisit, hoc est, confirmare reliquos omnes in fide. At qui infirmus est in fide, non est possibile ut reliquos in eadem fide confirmet. Quo fit, ut Papa si hæreticus fiat, Papa amplius esse non possit: quia ad id, quod sibi primo ex officio suo competit, videlicet reliquos in fide confirmare est profus ineptus. Demum quando Christus dignitatem Papalem jam ante promissam, Petro concessit, sic dixit: (Joan. 21.) Pascere oves meas. Quibus verbis concordant omnium Catholicorum Doctorum sententia, omnes Christianos oves, & Petrum illarum omnium dixit esse pastorem, ut ipso officii nomine apertissime declararet, quid Petro, & cuilibet summo Pontifici Petri successori facere ex officio incumbit: nempe pascere gregem sibi commissum spirituali quodam pabulo, doctrina videlicet Catholica fidei. Qui fidem Catholicam tenet, si est idiora, aut malis moribus viciatus, quamvis non sum bene exerceat officium, adhuc tamen Papa est: quia nihil habet Papatu repugnans. At qui hæreticus est: habet hæresim, quæ profus Papatu repugnat. Non enim potest, qui hæreticus est, veram alii præstare fidei doctrinam: & inde consequens est, ut qui hæreticus est, Ecclesiæ pastor esse non possit. In cujus confirmationem est, quod Augustinus ait in sermone de pastoribus, ubi exponit illud Cantorum: *Pasce hædos tuas*, sic inquit, Jam non oves: Manenti Petro dicitur: *Pasce oves meas*, exeunti hæretico dicitur, *Pasce hædos tuos*. Et iterum in epistola ad Vincentium Donatistam, petractans eadem verba ait: *Pasce hædos tuos*: non sicut Petrus, cui dicitur: *Pasce oves meas*. In tabernaculis pastorum non in tabernaculis pastoris ubi est unus grex & unus pastor. Hæc Augustinus: In quibus verbis apertissime docet Augustinus eum, qui pastor est ovium Christi, si fiat hæreticus, jam non esse pastorem ovium Christi, sed suorum hædorum. Sunt adhuc alie multe argumentationes procedentes ab his conditionibus, & qualitatibus, quæ necessario competunt hæreticis, ex quibus non minus evidenter convincitur Papam, si hæreticus fiat, esse statim jure divino privatum dignitate Papali. Nam omnis hæreticus est ab Ecclesiæ corpore separatus atque præscisus, quoniam a fide quam tota tenet Ecclesia se dividit, mallens suæ inniti prudentiæ, quam totius Catholice Ecclesiæ subesse judicio. Qui autem a fide Ecclesiæ separatur, consequens est, ut etiam a corpore ipsius Ecclesiæ sit separatus, quoniam sicut juxta dictum Pauli, (Ephe. 4.) *una est fides*: ita una est Ecclesia, & unitas Ec-

clesiæ ex unitate fidei pendet, dicente Hugone de Sancto Victore: Per fidem accipimus unionem, per charitatem vivificationem. At quicumque est ab Ecclesiæ corpore separatus, jam non est caput ejusdem corporis, quia repugnat, ut quod a corpore separatum est, sit caput illius. Ex quibus necessario inferitur, ut Papa si fiat hæreticus, jam non sit Papa: cum per hæresim sit a corpore Ecclesiæ jure divino separatus. Alia quæcumque peccata quantumlibet gravia inficiunt Papam, & illum tamquam caput languidum reddunt. Solum autem peccatum hæresis caput a corpore abscindit, & per consequens solum illud Papam jure divino sua Papali dignitate privat. Præterea hæretici vocantur lupi à Salvatore nostro, qui monens nos, ut ab hæreticis caveremus, dicit illos tamquam lupos esse fugiendos, sic inquit: (Mat. 7.) *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Ecce vides hæreticos, qui falsi sunt prophetae, non à quovis alio: sed à Christo ipso veritatis magistro appellati lupos. Ne injur lupus sit ovium pastor necesse est, ut Papa & quivis alius Episcopus factus hæreticus, statim desinat esse pastor: unde necessario sequitur, ut nec sit Papa, nec Episcopus. Nec credibile est, ut Christus hæreticum hominem, quem certus certo sciebat esse lupum, suarum ovium voluerit esse pastorem, ne oves lupo (quod extrema demerita reputatur indicium) commisisse dicatur. Prælatum igitur si ex pastore fiat lupo, necessario est etiam, ut eo ipso desinat esse prælatum, & pastor, ne vel in parvo temporis momento, oves lupo commissas esse dicatur. Rursus: Omnis hæreticus jure divino est ab hominibus viandus, protrahit supra quem de excommunicatione differimus, multis sacræ scripturæ testimoniis probavimus. Non est autem possibile, ut quis sit prælatum illorum, qui jure divino tenentur se ab illo separare, illum cum illo minime convolari illum in domum suam non recipere, neque illum salutare. Quoniam vero prælatum, etiam aliqui malo, omnia istorum contraria tenentur subditi etiam cum reverentia impendere. Nam Paulus docet obedientiam esse exhibendam præpositis, non tantum modicis: sed etiam discipulis. (Hebr. 13.) Demum plurima sunt sanctorum Doctorum testimonia, quæ asserunt hominem hæreticum nullam prorsus habere in Ecclesia potestatem jurisdictionis. Primum quidem beatum Thomam refero, tamquam recentiore, qui in sua secunda Secundæ quæst. 39. articulo tertio, dicit potestatem jurisdictionis non esse in hæreticis, & inde deducit, quod non possunt à peccatis absolvere, nec alios excommunicare, nec indulgentiam dare. Hæc ille. Et Gratianus huic asripulatur sententiæ, qui vigesima quarta, quæstione prima, parte secunda, quæ incipit in paragrapho, Sin autem ex corde suo, & ponitur statim post capitulum, Audivimus, sic in fine capituli ait: Quia sicut ille qui benedicit, major est eo, qui benedicitur: ita qui ex officio maledicere major est eo, qui maledicatur: Liquido constat eum, qui ab integritate Catholice fidei recedit, maledicendi, vel benedicendi potestatem minime habere. Chatholicam namque, utpote se superiorem maledicere non valet, in aliam a fide, tamquam in sibi æqualem sententiam dare non potest. Hæc Gratianus. Et Beda super Mattheum ait: Quicumque ab unitate fidei, vel societatis Petri Apostoli quomodolibet se ipsos segregant, tales nec à vinculis peccatorum absolvantur, nec janam possunt regni celestis ingredi. Beatus Ambrosius ait: Dominus par jus, & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit: ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet: Et infra: Cer-

Respondetur rationibus, quæ obijciuntur ab his, qui contrariam tenent opinionem.

Quamvis evidentibus (ut existimo) argumentis probaverim in præcedenti capitulo, Papam si hæreticus fiat, eo ipso esse dignitate Papali jure divino privatum, necessarium tamen existimavi, respondere argumentis eorum, qui contrariam tenent sententiam, ut illorum debilitate clarissime ostensa, vel inde nostræ sententiæ veritas firmiter roboretur, clarissime intelligatur. Et primum omnium argumentorum, velut totius aciei Antesignanum proponam, illud quod adversarii putant esse tam validum atque forte, ut nemo illi obistere valeat. Sic enim argumentantur. Episcopus si hæreticus fiat, non est eo ipso ex jure divino sua dignitate privatus, ergo Papa quamvis hæreticus sit, non est eo ipso ex jure divino dignitate Papali privatus. Consequentiam dicunt esse notam, quia (ut dicunt) Papa non est peioris conditionis, quam quivis alius Episcopus. Antecedens probant de Episcopo, qui in mente sua habet hæresim, cui perinde ac si adhereret, & numquam illam exterius manifestavit. Hic enim (ut asserunt) vere & proprie est hæreticus, & tamen non est eo ipso privatus Episcopatu. Quia illam Episcopalem potestatem (ut inquit) Episcopus habet ex sola humana aut ecclesiastica commissione. Et hoc dicunt esse certissimum ex consensu omnium Catholicorum doctorum, juxta illud beatissimi Leonis Papæ, in cap. Ita Dominus. 19. distinct. Ita Dominus hujus muneris sacramentum, ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi à quodam capite, dona sua velut in corpus omne distunderet. Hæc ille. Et inde quasi ex certissimo quodam assumpto colligunt Episcopatum, qui in hæresim mentalem pertinaciter lapsus est, non esse privatum Episcopatu. Quia Ecclesia non potest actibus animæ interioribus peccatum aliquam inspicere. Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis in suo illo opusculo de auctoritate Papæ & Concilii cap. 19. multis prolixisque verbis hæc facit argumentationem, quam ille tantum facit, ut dicat intellectum suum per illam fuisse victum ad censendam Papam si labatur pertinaciter in hæresim non esse ipso jure divino privatum dignitate Papali. Sed minor certe quod homo tantus, & qui multo fortioribus argumentis aliqui cedere non solet, nunc à tam debili argumento ejus multa reflexere possent, fateatur se victum. Crederem ego potius intellectum suum ab affectu magis quam ab hac argumentatione fuisse devictum. Nam contentio illa est mala quæ probat Papam hæreticam non esse jure divino privatum dignitate Papali, per hoc quod Episcopus hæreticus non est jure divino privatus Episcopatu. Potuit quidem fieri ut Deus de Papa hoc statueret, & non de cæteris Episcopis, præsertim quod causa tanti discriminis est nobilissima: quia videlicet Papa plus toti republicæ Christianæ nocere poterat, quam quivis alius Episcopus, si uterque illorum esset hæreticus. Ob quam causam recte potuisset Deus Papam hæreticum privare, alio quovis Episcopo hæretico non privato. Neque ob hoc censenda esset Papalis dignitas peioris conditionis, immo multo melioris, quoniam non

tum est, quod Ecclesiæ utrumque licet, hæresis utrumque non habet. Hæc Ambrosius. Et habentur in capitulo: Verbum Dei de præsentia, distinctione prima. Et beatus Augustinus super Joannem dicit, quod clares ligandi, atque solvendi, sum datæ Ecclesiæ in Petro, sic dicens: Petrus quando claves accepit, Ecclesiæ significavit. Ex quibus apertissime colligitur, eum qui extra Ecclesiam est, nullam habere ligandi aut solvendi potestatem. Cyprianus in quadam epistola ait: Qui nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, & sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopus, nec unitatem voluit habere, nec pacem. Hæc ille. Et habentur in capitulo, Novatianus. 6. quæst. 1. Et in alia Epistola, quæ est ad Magnum iterum sic ait: Dicimus omnes omnino hæreticos, & schismaticos nil habere potestatis, & juris. Hæc illi. Et habentur in cap. Didicimus. 24. quæst. 1. Accedit ad hæc omnia, quod nullum hucusque Ecclesia condidit decretum, per quod expresse statuerit Papam hereticum esse ipso jure depositum, aut per quod præcepit esse deponendum. Quod certe non evenisset, nisi quia Papam, qui hæreticus fieret, jure divino privatum esse intellexit: & ideo noluit actum agere. Non est certa credendum Ecclesiam, quæ tam sollicita semper fuit de separatione hæreticorum faciendâ, ne sua communione aliis nocere possint, nihil hucusque de Papa hæretico faciendum decrevisse: cum ille tanto plus, quam ceteri omnes hæretici Ecclesiæ nocere potest, quanto ille majorem haberet potentiam ad nocendum, & quanto ceteri Chærolici minus illum reformidarent, quippe quem debent habere fidei magistrum. Si quis mihi obijciat capitulum illud, Si Papa dist. 40. facillime respondebo, quod textus illius capituli, & si sit sancti viri & martyris, non est tamen hominis, qui leges toti Ecclesiæ præscribere potuisset. Quo fit, ut verba illius licet sint velut quoddam hominis sancti consilium accipiendâ, non sunt tamen pro decreto obligatorio tenendâ. Nec verba illa obligationem aliquam habere, putandum est, quia sunt in corpore decreti inserta, nisi forte quis ostendat totum Gratiani decretum esse per sedem Apostolicam approbatum, & omnia quæ in illo continentur, sine observari mandata. Quod tamen nunquam factum est. Cum ergo ex his omnibus tam evidentissimis rationibus constet Papam effectum hæreticum esse jure divino privatum dignitate Papali, inde etiam constat illum, qui depositus est, esse subiectum omni Ecclesiasticæ censuræ quæ contra hæreticos est à jure lata, sicut quilibet alius hæreticus. Non tamen ob hoc fallit regula juris quæ dicit: Par parem ligare non potest. Non quidem propterea quod Papa hæreticus sit minor quolibet Catholicus, ut supra retulimus glossam dicere, in capitulo, Achatius. 24. quæst. 1. Sed inde hoc evenit, qui effectus hæreticus jam desinat esse Papa, ac proinde excommunicari potest, & alias pœnas subire cogetur, quæ sunt à jure hæreticis decreta. Si tamen Papa maneret, illis non esset subiectus. Propter quod merito supra diximus hujus causæ definitionem esse à jure divino, & non ab humano petendam.



rerum gerendarum, charitas ferventissima, & alia id genus aliqua, sine quibus, & si aliquis Papa esse possit, non tamen bonus erit Papa. Quæ autem sunt necessaria ad simpliciter esse Papam, sunt duo. Quorum alterum est solum necessarium ad fieri, & non post factum esse: & hoc est voluntas ipsius electi, per quam consentit electioni de se factæ. Hæc enim est necessaria ad hoc, ut quis fiat Papa: quia ipso invito non potest fieri Papa. Postquam tamen jam semel consentit electioni, & factus est Papa, jam illius voluntas non est necessaria ad esse Papam; quia & si illum peniteat voluntatis præteritæ, & nolit esse Papa, & renuntiet Papatui, nihilominus adhuc est Papa, quousque ab his quibus competit sit eius renuntiatio acceptata, ut patet in cap. 1. De renuntiatione, lib. 6. Rationem horum si quis requirat, eam nunc libenter offerimus quæ talis est. Quilibet potest renuntiare juri suo, non tamen juri alterius. Ecclesia eligens Paulum in Papam, nullum adhuc jus propter hoc habet in Paulo quousque consentiat. Postquam autem consentit electioni de se factæ, sicut ipse acquisit jus supra Ecclesiam ad regendum eam, ita illa acquisit jus supra ipsum, ut ab illo petere possit doctrinam, & reliqua, quæ ille ex officio Papali tenetur tribuere Ecclesiæ. Est enim mutus quidem contractus inter electores, & electum initus, quo mortuo se invicem obligantur. Electus quidem ad reddendum Ecclesiæ debitum, pastoris officium ad quod solum Ecclesia illum elegit. Ecclesia vero, quæ illum in prælatum elegit, hoc ipso se ad debitam obedientiam illi exhibendam, obligavit. Et hinc evenit, ut cum primo electus est, possit renuntiare juri suo. Cum autem jam semel consentit electioni, & effectus est Papa, tunc jam non potest sine consensu Ecclesiæ renuntiare Papatui: quia si hoc faceret, non solum juri suo, sed juri Ecclesiæ renuntiare, quod facere non potest. Ex quibus apertissime constat, quod voluntas electi in Papam, licet sit necessaria ad fieri Papam, non tamen est necessaria ad conservationem Papatus: quia (ut dixi) invitus potest esse Papa. Alterum est necessarium ad esse Papam in fieri, & in facto esse, & hoc est fides. Neque hic loquor de fide formata, de qua dicit Paulus, quod per dilectionem operatur. Quoniam hæc non est necessaria ad esse Papam, cum possit Papa in peccato mortali existens, in Papam eligi, & in Papatu perseverare. Alioqui esset incidere in errorem Valdensium, & Joannis Hus, dicentium omnem ecclesiasticam dignitatem amitti per quodlibet peccatum mortale. Qui error damnatus est in concilio Constantiensi, sessione decimaquinta. Fides ergo, quam dico esse necessariam ad esse Papam, est fides habitualis à spe, & charitate distincta, quæ datur in baptismo, & de qua Paulus dicit, quod sine illa impossibile est placere Deo. Hæc, inquam, fides est necessaria ad esse Papam, ita quod sine illa non potest fieri Papa, nec in Papatu conservari. Et quia hoc est præcipuum fundamentum, super quod fere tota hujus nostræ doctrinæ fabrica consistit, ideo pro illius firma stabilitate elaborandum est, & multis rationibus illud probandum. Pro qua re maxime conducit diligenter perscrutari totum processum, quo Christus pervenit ad dandum Papatum Petro. Non enim statim, & sine ullis mediis illi hanc concessit potestatem: sed primo illam promisit, ad aliud tempus hanc differens donationem. Deinde antequam daret, monuit de dignitate sibi promissa, ut intelligeret quid sibi per illam injungebatur. Demum, cum promisit

potestatem Christus Petro concessit, tunc vim dignitatis, & quæ ad illam necessario exigebantur, aperuit expressit. Quæ omnia, si quis diligenter considerare velit, vel ex eo clarissime discet, quam necessariam ad Papatum voluit esse fidem Christus Salvator noster. Singula igitur studiose perscrutemur. Primo quidem Christus Salvator noster promisit hanc potestatem Petro, sic dicens: (Matth. 16.) *Tibi dabo claves regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quo in loco Origenes more suo philosophatus, dicit Christum his verbis majorem Petro promisisse ligandi, & solvendi potestatem, quam postea reliquis Apostolis, aut dedit, aut promiserit. Nam cum aliis omnibus Apostolis ligandi, & solvendi potestatem tribuit, in cælo tantum ligandi, & solvendi potestatem, dixit fore soluta aut ligata, quæ illi solverent, aut ligarent. Sic enim dixit: (Matth. 18.) *Quodcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo; & quodcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælo.* At quam Petro claves commisit, non usus est singulari numero cæli; sed plurali numero significavit in cælis fore soluta, aut ligata, quæ ille in terris solveret, aut ligaret, ut vel hoc verborum discrimine nos doceret, aliquid majus Petro, quam reliquis Apostolis fore concedendum. Sed jam videamus quid illam promissionem præciserit. Antequam Christus hoc Petro promitteret, interrogavit omnes Apostolos quid de illo sentirent, & quam de illo haberent existimationem. Cui interrogationi (ut Matthæus refert) Petrus solus respondens, dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quo loco Theophylactus annotat verba illa ad majorem Petri fidem exprimentam cum articulo emphasim quandam significante esse pronuntianda, sic enim ait Theophylactus. „ Non dixit: Tu „ est Christus filius Dei viventis, absque articulo; sed „ cum articulo ille filius, hoc est, ille ipse, qui solus & „ unicus, non gratia filius, sed qui ex ipsa patri sub- „ stantia genitus. Quia & multi Christi erant sacerdotes, „ & reges omnes, sed Christus eum articulo, unus est. „ Hæc Theophylactus. Hæc confessione fidei per Petrum facta, statim Christus dixit illi: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum, &c.* Quæ verba remunerationem quandam Petro pro suæ fidei confessione exhibitam, aperte ostendunt. Quod clarissime docet Theophylactus, sic inquires: „ Remunerat Petrus Dominus mercedem illi dans magis „ nam, quod super eum ædificabit Ecclesiam. Quia enim „ confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quod hæc „ confessio quam confessus est, fundamentum erit futurum „ credentium, ita ut omnis homo extructus fidei „ domum, hoc iacturus sit fundamentum. Nam licet in „ numeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter ædificamus. „ Hæc ille. Eandem sententiam docet Cyrillus, qui libro quarto Dialogorum de Trinitate, interpretans prædicta Matthæi verba, ait: „ Petram opinor per agnominatio- „ nem, aliud nihil quam inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, ut non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens. „ Hæc Cyrillus. In verbis istorum duorum doctorum id potissimum annotandum est, quod per verba Christi, & non

ex

ex suo cerebro, nos docent, fidem esse fundamentum totius Ecclesiasticæ structuræ. At ubi fundamentum deest, nihil superædificari potest, & si quid ædificatum super illud fuerat, necesse est, ut illo fundamento sublato, ruat. Consequens igitur est, ut deficiente in aliquo fide Catholica, quæ est totius Ecclesiasticæ structuræ fundamentum, non possit in eo Papalis dignitas fundari, quæ primus est in illa structura lapis, post fidem. Immo nulla alia ecclesiastica dignitas à Christo instituta, qualis est Episcopalis potestas poterit in illo, qui fidem Catholicam non habet, fundari. Quoniam hæc cum sit à Christo instituta, & in structura Ecclesiæ ad eodem collocata, non poterit aliud fundamentum habere, quam illud, quod ab ipso Christo positum est, videlicet fides. Et inde etiam sequitur, ut hoc fidei fundamento sublato ab eo, qui Papa, aut Episcopus erat, eo ipso Papalis, aut Episcopalis dignitas, quæ ante in illo erat, cadat ab illo. Forte aliquis hujus argumentationis potentiam effugere volens, dicit characterem baptismalem, qui dicitur sacramentum fidei, satis esse, ut in aliquo qui fidem non tenet, possit Papalis dignitas collocari, & conservari, sed hæc meræ nuge sunt, ut facile patere potest, vel mediocriter rem consideranti. Nam Theophylactus verba Christi declarans, non dicit characterem baptismalem esse fundamentum, sed solam fidei confessionem. Quod & si Theophylactus non interpretaretur, ex ipsi Christi verbis, & illorum circumstantiis apertissime constare poterit. Nullam enim ibi erat mentio de baptismo, nec de baptismali characterem, nec in illo poterat esse merium, ut propter illud tanta mercede Petrum Christus donaret. At in confessione fidei, quam Petrus fecit, multum adfuit meriti, atque ideo illa digna habita est à Christo, cui tantam promitteret mercedem, quantam nulli alteri, nisi Petro, quem totius Ecclesiæ caput instituit, donare decrevit. Et quod fides sit fundamentum totius religionis, & totius Ecclesiasticæ structuræ, ex aliis ad hæc scripturæ locis, aperte convinci potest.

Nam Paulus Corinthiis scribens, cap. 3. ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Quæ verba interpretans Agustinus in libro de fide, & operibus, cap. 16. ait. „ Si Christus „ tus est fundamentum, proculdubio, & fides Christi. „ Per fidem quippe habitat in cordibus nostris, sicut idem „ Paulus dicit. „ Hæc Agustinus: Et ad Colloenses Paulus scribens, iterum ait (Coloss. 1.) *Reconciliavit vos Christus in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso, si tamen per maneris in fide fundati.* In quibus verbis Paulus apertissime dicit, fidem esse fundamentum, & inde colligitur, ut fide sublata reliquum totum corrumpat ædificium. Et certe (ut aperte loquar) hæc argumentatio, quæ nunc ex ratione fundamenti facta est, me multum urget, ut existimem Papam, si hæreticus fiat, eo ipso esse jure divino privatum dignitate Papali. Nam alia, quam aliqui faciunt ex ratione membrorum, quæ invicem per fidem connectuntur, non est adeo efficax, ut per illam rationem quis convincere possit Papam, si fiat hæreticus, jam non esse totius Ecclesiæ caput: quia videlicet jam non est Ecclesiæ membrum, cum careat fide. Hanc enim argumentationem facile solvit Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis in opusculo de auctoritate Papæ, & Concilii, cap. 22. dicens: quod Papa etiam si hæreticus fiat, adhuc est membrum Ecclesiæ. Quia licet careat fide, habet tamen characterem baptismalem, per quem etiam sicut per fidem, quisque effici potest membrum Christi, ut expresse docet Innocentius tertius in cap. Veniens, De presbytero non baptizato,

Tom. II.

cujus hæc sunt verba. Non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti quis efficitur proculdubio membrum Christi. Hæc Innocentius. Forte quis mihi etiam ex verbis ejusdem capituli respondebit, dicens in eodem capitulo, baptismum etiam dici fundamentum. Fateor quidem in illo loco baptismum appellari fundamentum: sed diligenter inspiciendum est, respectu cuius dicitur fundamentum, & invenietur dici fundamentum respectu aliorum sacramentorum. Nam questio illius capitis erat de presbytero non baptizato an suscepisset ordinem sacerdotii, & ut persuaderet illum non suscepisse sacerdotium, dicit quod deficiente baptismo, qui est fundamentum aliorum urique sacramentorum, nullum aliud sacramentum superædificari poterat. Quamquam hæc non definiendo, sed disputando Pontifex dixit, ut literam inspicienti facile constare potest. At quod baptismum sit fundamentum Papalis dignitatis, Pontifex ibi non dixit, nec de illa erat tunc sermo. Esto, etiam hoc dixisset, non tamen diceret baptismum esse sufficiens fundamentum, ita ut fides non esset etiam fundamentum necessarium. Quia hoc esset aperte repugnare Christo, qui dixit se super fidei confessionem fundaturum Ecclesiam suam, & qui propter illam fidei confessionem promisit se daturum Petro in præmium claves regni cælorum. Et hoc est alterum quod in verbis Theophylacti ultimo citatis adnotandum erat, quum dixit Christum remunerasse confessionem Petri, quando promisit illi se super illam confessionem ædificaturum Ecclesiam suam, & propter illam eandem daturum illi claves regni cælorum. Nam quia aliis omnibus Apostolis tacentibus solus Petrus confessus est Christum esse filium Dei, ideo illi soli claves regni cælorum, & ligandi, atque solvendi potestatem supra omnes promisit. Si propter fidei confessionem tamquam propter quoddam meritum, Christus pontificiam super omnes dignitatem Petro promisit, hoc ipso declaravit eum, qui fidem non haberet, indignum esse, qui cæteris præmereretur. Quis ergo tam demens erit, ut alicui sine fidei merito Papatum tribuere velit, quem Christus Petro sine fidei confessione nec promittere voluit, ac proinde multo minus daret. Nec placet mihi illorum sententia, qui dicunt Petrum tunc pro omnibus respondisse, & sic suam, aliorumque fidem expressisse. Non enim alii Apostoli tunc habebant provinciam delegaverunt, ut pro omnibus responderet. Neque Petrus tam arrogans erat, ut pro omnibus, non mandatus responderet, præsertim quod tunc non solum data non erat super cæteros Apostolos potestas: sed nec erat adhuc promissa. Si quis autem dicat hoc Petrum facere potuisse, quia cæteris Apostolis senior erat, is attendat, obsecro, Andream in Apostolatu seniore esse Petro, quod multo magis æstimandum erat, quam quilibet ætatis excessus. Deinde suis ipse verbis Petrus testatur se non pro omnibus, sed pro se solo respondere. Non enim plurali numero (ut oportebat) sed singulari numero loquutus est, sic inquires: Ego dico quia tu es Christus &c. Si pro omnibus loqui voverit, plurali numero loqui debuisset his verbis: Nos dicimus, &c. Nam alias postquam jam supra omnes illum Christus instituerat prælatum: quum in die Pentecostes omnes Apostoli, eo quod recepto jam cælesti spiritu omnibus loquerentur linguis, de ebrietate falso apud populum accusarentur, Petrus se omnium curam habere intelligens, ac proinde omnium causam suscipere volens, non singulari, sed plurali numero loquutus est, sic dicens (Act. 2.) *Viri Judæi, & qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt,*

Xx

cum



est Albertus Pighius Campensis in suo illo magno prolixissimoque opere de Ecclesiastica Hierarchia, & in quadam disputatione quam fecit de actis sextæ synodi. Docet certe vir verum (ut ingenue loquar) nihil aliud in defensionem Honorii agit, quam litus arare, aut late rem lavare. Nam ut Honorium defendat, dicit acta sextæ synodi depravata esse & corrupta à Græcis, in quorum lingua primum acta illius synodi scripta fuerunt. Causam autem hujus depravationis dicit fuisse, quod Græci semper inviderunt Romano Pontifici, & ob hanc causam dicit multa in actis illius synodi permixta fuisse ab illis mendacia contra Honorium Papam, ut hac via honorii & auctoritati Romanæ sedis detraherent. Sed re vera non magis per has fictiones & somnia suffragatur Honorio, quam si tacuisset. Primo quidem quod acta sextæ synodi esse à Græcis depravata, est mere voluntarie dictum, immo temerarie, quia nulla verisimili ratione fundatum. Nam si Græci ob invidiam Romanæ sedis voluissent detrahere Honorio, verisimile est quod idem tentassent contra alios Romanos Pontifices, qui alias Græcorum hæreses damnaverunt, prout fuit Leo primus qui damnavit Eutychem & Dioscorum, & multas contra illos scripsit ad diversos doctissimas epistolas. Si verisimile est, quod propter invidiam Romanæ sedis Græci voluerint depravare acta sextæ synodi, multo verisimilius est, quod propter eandem invidiam depravassent acta Concilii Calcedonensis, in quo damnati sunt Dioscorus & Eutyches, præsertim quum propter hanc damnationem Armenii & magna Græcorum pars cepit desicere ab obedientia Romani Pontificis. Nolo amplius pro veritate actorum sextæ synodi contendere, quia vir doctus Franciscus Torrensis, natione Hispanus, librum edidit, in quo pro hac re contra Albertum Pighium pugnat, & mea quidem sententia de illo in hac parte triumphat. Præterea, & si demus gratis Alberto Pighio acta sextæ synodi in aliis rebus fuisse depravata, non tamen ideo salvis ab infamia erit Honorius, quia est adhuc unus alius testis legitimus, & ab omnibus probatus, qui illum de hoc crimine accusat. Beda enim vir sanctus & vere doctus quasi oculatus testis quoniam fuit synchronus Honorio, in lib. de ratione temporum, de Constantino Imperatore hujus nominis quarto differens, hæc ait. Agatho Papa ex rogatu Constantini, Heraclii, & Tiberii principum piissimorum, misit in regiam urbem Legatos suos, in quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione faciendâ sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti à Reverendissimo fidei Catholice defensore Constantino jussi sunt, remisit disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum, quos petebant libellis. Adhærent autem & Episcopi 150. præsidente Georgio patriarcha regie urbis, & Antiochie Macario. Et convicti sunt, qui unam voluntatem & operationem adstruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta per plurima. Finito autem conspectu, Georgius correctus est; Macarius vero cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatus. Hactenus Beda. In quibus verbis duo potissimum annotare oportet. Primum est id quod ait, hæreticos illos fuisse convictos depravasse Catholicorum Patrum scripturas. Nam hic fuit semper, & nunc est perpetuus & inviolatus hæreticorum mos, mendacia fingere, & scripturas falsificare, ut suas apud populum,

quem summopere fallere cupiunt, hæreses tueri possint. Alterum est quod præsentii proposito servit, ubi Honorium recenset inter illos qui propter Monothelitarum hæresim anathematæ percussus sunt. Supponamus igitur Papam posse in hæresim labi, & hæreticum esse. Tunc jam merito quæsitio se offert diligentiori examinatione digna. An Papa, aut quisvis alius Episcopus effectus hæreticus, amittat omnem potestatem jurisdictionis, ita ut jam non sit Papa nec Episcopus censendus. Quæ quidem quæsitio aliter definienda est secundum jus divinum, & aliter secundum jus humanum. Si juxta humanum jus quæsitio hæc est pertractanda, aliter de Papa, & aliter de aliis Episcopis respondendum erit. Nam Papa non est eadem lege & mensura, qua cæteri Episcopi, metiendus. Quoniam cæteri omnes Episcopi juri humano subduntur, & penas ab humano jure ob crimina aliqua decretas, si in illa inciderint crimina, perferre coguntur. Ex quo aperte colligitur, omnem Episcopum postquam effectus fuerit hæreticus, esse excommunicatum. Et inde etiam colligeretur illum privatum esse eo ipso suo Episcopatu, si Ecclesia hæc penam hæretico Episcopo, decreto perpetuo irrogassent. Hoc tamen decretum numquam (quod sciam) Ecclesia hucusque statuit. Nam licet multi sint sancti viri, quorum testimonia inferius citabo, qui dicant nihil honoris aut dignitatis hæreticos habere, hoc tamen non dixerunt, tanquam legem statuerent. Quoniam cum illi non fuerint Summi Pontifices, certum est eos non potuisse leges præfigere, quæ universos ligarent Episcopos. At Papa cum sit totius Ecclesiæ caput, quod in reliqua omnia membra insit, illis omnibus sensum ministrans, sicut omnes judicare potest, ita à nemine judicari valet, ut habetur in cap. Si Papa, dist. 40. & in cap. Nemo, 9. q. 3. & in cap. Oves, 2. q. 7. Ex qua ratione deducitur Papam non esse præceptis aliquibus humanis ligatum, quia non habet superiorem in terris quo ligari possit. Ab inferiori autem aut à pari certum est neminem ligari posse: quia (ut commune est Jurisperitorum proverbium) par in parem non habet imperium. Et hinc nostri Theologi colligunt Papam non esse obligatum ad suorum peccatorum auricularem confessionem annuatim faciendam. Quoniam cum talis confessio annua solo sit jure humano præcepta per illud videlicet cap. Omnis utriusque sexus, de penit. & remis. Convincitur aperte Papam qui supra omne jus Canonicum habet plenam potestatem, non esse ad illam obligatum. Ex eadem radice oritur, ut Papa non possit incidere in alicujus ecclesiastici canonis censuram, aut penam: ut sunt excommunicatio, interdictum, suspensio, irregularitas. Nam omnes istæ censure, cum sint solo jure humano decretæ, non possunt Papam ligare, quomodo certum est, vel parem esse his, à quibus illi fuerunt canones statuti. Ex quibus omnibus necessario sequitur, ut Papa effectus hæreticus non sit ipso jure excommunicatus, ea excommunicationis specie, quæ dicitur censura ecclesiastica. Dixi ex industria de excommunicatione quæ est ecclesiastica censura, quoniam est quedam alia latior & benignior excommunicatio contra hæreticos, quæ juxta multorum opinionem (ut supra cap. 18. hujus secundi libri diximus) est jure divino inflicta. Verum hæc non est nisi quedam separatio ab exteriori fidelium conversatione: ita ut fidelibus omnibus sit divino jure interdictum, ne cum hæreticis conversentur, juxta illud Pauli (Tit. 4.) *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devota. Cui consonat Joannes in sua secunda canonica epistola, sic*

inquiens: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec avei ei dixeritis.* Et hæc excommunicatione Papa sicut quilibet alius Christianus, si hæreticus fiat, erit statim eo ipso excommunicatus. Quia postquam de illius hæresi constiterit, omnes Christiani tenebuntur ab illius conversatione abstinere. Est tamen alia multo acerbior excommunicatio, quæ non solum ab exteriori separat conversatione, sed etiam à spiritualium bonorum participatione sequestrat, & multa alia incommoda inferi, quæ nunc non est animus recensere. De hac igitur excommunicatione, quæ est ecclesiastica censura, & ab Ecclesia inflicta, censeo Summum Pontificem, etiam si fiat hæreticus, non esse hæc excommunicatione ipso jure excommunicatum, nisi aliunde quam ex jure humano constaret illum eo ipso quod factus est hæreticus, esse dignitate Papali depositum. Quoniam talis excommunicatio cum sit à jure humano inflicta, non potest ligare Papam, qui citra omnem controversiam est supra omne jus humanum. Quæ quidem sententia usque adeo videtur vera S. Thomæ, ut in 4. sentent. dist. 19. art. 3. dicat, Papam non posse hæc potestatem alicui delegare, ut ipsum Papam possit excommunicare. Et idem docent S. Bonaventura, & Albertus magnus, ut de illis refert Joannes de Turrecremata, qui istorum omnium sententiam comprobant. Male ergo opinantur illi qui docent, omnia jura quæ de hæreticis aliquid decernunt, etiam Papam ligare, si ille fiat hæreticus. Nam dum Papa est, subjicitur depositioni, ut videlicet propter hæresim deponi possit, non tamen alicui alteri juris censure. Postquam vero depositus fuerit, tunc jam erit omnibus ecclesiasticis penis, sicut reliqui omnes, subjectus. Et hinc est quod Papa effectus hæreticus, nisi ex jure divino impediatur, adhuc antequam deponatur, omnem suam dignitatem & jurisdictionem conservare poterit. Quia cum ille ligatus excommunicatione non sit, nullum aliud jus humanum obstat, quominus ille alios ligare & solvere possit: Contra ea quæ diximus, forte quis mihi objiciet quendam Glossam super cap. Acharias, 24. q. 1. quæ talia refert. Hic est casus in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit. Neque huic obviat regula: par parem solve, vel ligare non potest: quia si Papa hæreticus est, in eo quod hæreticus est, minor est quolibet Catholico. Hæc in illo capite, Glossa. Hanc objectionem ego facillime rejicio, ingenue dicens non esse tantæ auctoritatis Glossatorem illum, ut me sua auctoritate premere valeat, præsertim cum alias tam multa doceat evidentiissime falsa, & erronea, ut omnem merito propter illa amiserit auctoritatem. Deinde verba ipsa, quæ nunc refert, si diligenter discutiamus, aperte ostendent, quam parum solidæ doctrinæ in se contineant. Dicit enim, quod si Papa hæreticus est, minor est quolibet Catholico. Si Papa hæreticus minor est quolibet Catholico: ergo quilibet Catholico major est Papa hæretico. Collectio ista ex eo redditur manifesta, quod major & minor sunt correlativa. Videamus ergo quomodo hic major, & ille minor censendi sunt. Et certum est eodem modo alterum dicendum esse majorem, quo alter dicitur minor: quia alias non erant comparativa, nec relative opposita. Si de majoritate, & minoritate jurisdictionis loquatur Glossa, constat verba illius esse falsa. Nam aperte constat esse falsum, omnem Catholicum esse majorem in jurisdictione Papa hæretico. Quia multi sunt Catholici, qui nullam profus jurisdictionem habent supra Papam hæreticum, prout

sunt omnes fere laici, ad quos non spectat Papæ hæresim examinare, neque de illa censere, neque illum ob hoc punire. Si vero de majoritate, & minoritate in meritis, aut in gratia, aut charitate loquatur, & si ita, ut ille ait, sit, nihil tamen inde colligere valet, quod suo proposito favere possit. Nam juxta illum sensum minoris, & majoris, etiam dicitur, Papam peccatorem in peccato mortali existentem esse minorem quolibet viro Catholico, & justo. Sed numquid ideo sequitur, ut propterea par parem ligare, aut solvere possit, aut quod Papa in canonem latæ sententiæ incidere debeat. Quia ut quis ligare, aut solvere possit, non majoritas sanctitatis requiritur, sed jurisdictionis. Male ergo responderetur ad objectionem regulæ, quæ ait: Par parem solve, aut ligare non potest, dicendo, quod Papa hæreticus minor est quolibet Catholico. Dico ergo quod omni jure divino de hac re secluso, si secundum solum jus humanum hæc quæsitio definienda est, Papa effectus hæreticus, licet sit merito ob hoc deponendus, non tamen est eo ipso depositus, nec eo ipso excommunicatus. Quia quamdiu est Papa, excommunicari non potest, neque alia quavis censura Ecclesiastica ligari, cum sit supra omne jus humanum, à quo censure illæ suam habent firmitatem, suumque vigorem. Erit autem ille (ex solo jure humano loquendo) tandiu Papa, quamdiu fuerit ab Ecclesia toleratus. Ecclesia vero haud dubie illum tolerabit, quousque sibi constet illum jure divino esse depositum, aut merito deponendum. Quoniam Paulus tertius, qui nunc est, licet ab hominum electione habeat quod sit Papa, postquam tamen electus est, non ab hominibus, sed à Deo habet plenam supra totam Ecclesiam potestatem. Et inde evidentiissime colligitur illum non posse ob qualemcumque crimen ab Ecclesia deponi, nisi constet ex eodem jure divino, Ecclesiam propter tale crimen Papam deponere posse. Dimisso ergo jure humano, à quo nihil certum in hac quæstione dicere possumus, ad jus divinum, tamquam ad totius veritatis fontem, recurramus, ut inde ubertim doceri valeamus. Perferretur igitur divinas scripturas, & per illas inquiramus ea, quæ ad esse Papam sunt necessaria, & inde facile intelligemus, an Papa, si hæreticus fiat, sit statim dignitate Papali privatus, an non. Nam certissima ratione Philosophica scimus, tunc aliquid necessario perire, quando illi desunt ea, quæ ad suum esse sunt necessaria. Si autem omnia, quæ ad alicujus rei existentiam sunt necessaria, adsunt, si res naturaliter, & non libere causatur, illam deesse non est possibile. Quia enim sanguis est necessarius ad hominis vitam; ideo sanguine deficiente homo vivere non potest. Alioqui, si sanguine secluso viveret homo, hoc uno argumento evidentiissime probaretur sanguinem ad illius vitam non esse necessarium. Calor est necessarius ad esse ignem, & inde consequens est, ut calore profusus destructo, pereat etiam ignis. Hoc igitur semel præfixo fundamento, opus est, ut ex ipsis scripturis divinis diligenter inquiramus ea, quæ ad esse Papam sunt necessaria. Omitto hic alia quæ extra ipsum Papam sunt, ut puta voluntaria electio ipsorum electorum, & habitus in ipsis eligentibus, ut videlicet illi habiles sint ad eligendum. Istis & aliis hujusmodi omissis, si de illis quæ in ipso eligendo aut electo sunt, loquamur, distinguere oportet. Quoniam quedam sunt necessaria ad simpliciter esse, alia sunt necessaria solum ad bene esse. Quæ solum ad bene esse exiguntur, talia sunt, ut illis seclusis Papa esse possit, sed non bonus Papa: & hæc sunt scientia rerum divinarum, prudentia







non sunt privati dignitate sua. Ut autem inde colligere valeret, Romanum Pontificem etiam propter solam hæresim mentalem non esse privatum potestate Papali, oportet probare, Romanum Pontificem etiam habere suam potestatem ex commissione humana, & non à Deo. Tunc enim bene colligeretur ut idem de illo esset censendum quod de aliis, quia illius actus interior etiam non subiceretur iudicio humano, à quo potestatem acceperat. Aut oportet addere in argumentatione, Romanum Pontificem non esse subiectum iudicio divino secundum actus interiores, quemadmodum alii Episcopi non subduntur iudicio humano penes eisdem. Tunc etiam collectio illa esset bona. Quia sicut ceteri Episcopi per solam hæresim mentalem iure humano non privantur iurisdictionis potestate, eo quod per illam non subduntur iuri humano: ita etiam oportet Romanum Pontificem, per solam hæresim mentalem non esse iure divino privatum potestate Papali, si ille per eandem hæresim non esset subiectus iudicio divino. Alioquin si hæc duo subtrahantur ex illa argumentatione, sicut necessario sunt subtrahenda: quoniam iam fide credere tenemur Romani Pontificis potestatem esse non ab hominibus, sed à Deo, & illum per actus interiores divino iudicio subditum esse, argumentatio illa nullius profus erit roboris aut momenti. Nam ex hoc quod ceteri Episcopi ob solam hæresim mentalem non sunt privati ex iure humano, cui subesse non possunt, inferre quod Romanus Pontifex ob solam etiam hæresim mentalem non sit privatus ex iure divino, cui est vere subiectus, tam mala est collectio, ut nemo sit qui non intelligat. Tam exactam feci de Cajetani argumentatione examinationem, ut plane ostenderem quam debilis fuerit argumentatio, à qua intellectum suum devictum fuisse fatetur. Hac igitur argumentatione, quam adversarii præ omnibus æstimant, profus enervata, reliquas quoniam debiliores sunt facile proferemus. Secundo sic argumentatur: Rex aut Imperator si fiat hæreticus non est eo ipso ex iure divino privatus regno aut Imperio: quia constat multos in lege veteri fuisse Reges idololatrias, & multos etiam fidelibus imperasse Reges infideles, de quibus ipsimet Deus ait: (*Osia 8. 13.*) *Ipsi regnaverunt, & non ex me.* Et iterum: (*Dabo tibi Regem in furore meo.*) Ergo eodem modo Papa, aut quisvis alius Episcopus, quamvis hæreticus fiat, poterit fidelibus Catholicis præesse. Respondeo, non esse eandem omnium illorum rationem, neque Imperatores aut Reges aut alios dominos seculares esse eadem lege, qua prælati Ecclesiastici regendos. Quoniam temporale dominium aut secularis potestas non habet pro fundamento suo, cui innitur, fidem: & ob hanc causam etiam si fides desit, possunt illorum dominia & potestates subsistere, siue fidelibus siue infidelibus dominentur. Nihil enim obstat, ut infidelis homo in rebus pure secularibus possit fidelibus præesse & ille dominari. Et idem dicendum puto de sacerdotio veteris legis, quod licet circa spiritualia versaretur, quia tamen non erat illi data fides pro fundamento, illa seclusa consistere illud valebat: ita ut quamvis hæreticus fieret, non esset eo ipso sacerdotio privatus. At longe aliter se habet potestas Ecclesiastica in lege Evangelica. Quoniam hæc fundata est super firmam petram, hoc est, Catholicam fidem. Hac igitur eversa, necesse est, ut tota Ecclesiastica potestas, que illi innitebatur, corruat. Quo fit, ut, licet in temporalibus & corporalibus infidelis fidelibus præesse

possit & dominari, in spiritualibus tamen infidelis supra fidelem nullam potestatem habere iurisdictionis potestatem. Tertio contra nos argumentatur ex facto Marcellini, qui in horribili illa sub Diocletiano servente persecutio, carnificum violentia ad impia sacrificia pertractus succubuit, & Thura idolis adolevit, ariusque iniecit: nec tamen ob hoc à Papatu deiectus est, sed in eo usque ad mortem perseveravit. Huic argumentationi facillime respondeatur. Negando Marcellinum Papam fuisse hæreticum, quia licet in confessione fidei adversus parata, & iam intentata tormenta satis constans non fuit, tamen fidem quam mente tenebat, non amisit. At opus exterius (ut supra cap. 1. huius operis diximus) non est hæresis: sed solus mentis assensus vel dissensus, quamvis ex ipso opere vehemens aliquando oriatur hæresis suspitio. Ut ita illum mente credidisse merito putetur, sicut suum opus exterius demonstrat. Verum hæc suspiciones hominum sunt, qui de oculis certam non possunt dicere sententiam. Quod vero Marcellinus veram non amiserit fidem, satis aperte convincitur per id quod habetur in cap. Nunc autem, dist. 21. Ibi enim dicitur, quod compulsus à paganis gtna thuris super prunas posuisset. Si compulsus: ergo non ex libera hoc fecit voluntate, sed ut tormenta vitaret. Tormenta autem satis vitabat per solam opus exterius, sine errore intellectus: quia gentiles quibus solis tunc placere curavit, non interiorem mentis fidem, sed opus exterius cernere poterant. Deinde, & si gratis daremus illum tunc perdidisse fidem, non tamen inde censendus est hæreticus: quoniam defuit illi pertinacia, quæ summe necessaria est, ut quis merito dicatur hæreticus, ut habetur ex cap. Dixit Apostolus. 24. quest. 3. Marcellinus siquidem ad cor reversus, & sui delicti acerbissime penitens, in publico Episcoporum Concilio suam inconstantiam confessus est, & libens iudicio se subdit sacerdotum, qui humilem illius aspicientes confessionem, nullam in illum ausi sunt dicere sententiam. Quarto loco contra nostram sententiam argumentatur adversarii, per illud, quod dicitur in cap. Cum ex injuncto, de hæreticis: ad quem pertinet institutio alicujus, ad eundem spectat destitutio eiusdem. Ex quibus verbis colligere volunt Papam, si fiat hæreticus, esse ab hominibus deponendum, & non esse ex iure divino depositum: quia cum ab hominibus eligatur, oportet ut etiam ab illis deponatur. Hoc argumentum est tam debile, ut indignum sit, cui debeat dari ulla responsio. Nam regulam illam, que ad coercendos temerarios hominum ausus à jure statuta est, ad divinam potentiam accommodare volunt, tamquam si illa aliquid, quod non liceret, intenteret, & ob id certis limitibus ab humano iudicio statutis, esset cobibenda. Qui quæso homo Catholicus est, qui hanc non irideat consequentiam? Papa eligitur ab homine: ergo non potest deponi à Deo. Et multo magis ridendus erit, qui illam probare pergit per illam regulam juris, ad quem pertinet institutio, pertinet destitutio. Deinde, & si gratis illis demus regulam esse ubique veram, non tamen eo sensu quo ab illis accipitur. Nam regula illa (ut ex decursu illius Capituli facile constare potest) in hunc sensum data est, quod nullus inferior potest destituere illum quia à superiore institutus est: & inde argumentatur Papa, quod presbyter, si malus fuerit, non est à plebe, que supra illum nihil penitus habet potestatis, sed ab Episcopo qui illum instituit, deponendus.

11. dus.

Et ita concederem ego Papam, qui à Cardinalibus electus est, non posse ab alia potestate ipsi Cardinalibus inferiore, deponi. Sed nunquid ex illa regula colligere licet, ut institutus ab aliquo non possit à superiore destitui? Minime. Nam sacerdos ab Episcopo ad curam animarum institutus, potest per Papam ab eadem cura deponi: immo etiam ab Archiepiscopo Metropolitanano, si causa propter quam merito deponendus sit, sit ad Archiepiscopum devoluta. Cum igitur regula illa concedat institutori alicujus, potestatem deponendi illum, eo ipso eandem potestatem concessisse videtur cuicumque habenti plenam super institutorem potestatem. Et inde sequitur (volo quidem juxta præfatam regulam loqui) ut Deus qui Cardinalibus & tota Ecclesia superior est, possit voluntate sua & jure à se destituere Papam qui à Cardinalibus fuerit electus. Destituit autem ille hæreticum à Papatu, quando firmissimo decreto statuit Ecclesiam suam fundari supra fidem, aut supra apertam fidei confessionem. Quinto argumentatur adversarii contra nos; per hoc quod Episcopi in hæresim pertinaciter lapsi, si ad fidem redeunt, ad suas restituantur dignitates: signum est ergo quod non fuerant illis privati, alioquin oporteret novam facere electionem. Antecedens probant per cap. Maximum. 1. q. 7. Et inde arguunt ut idem de Papa hæretico dicendum sit, quia si ille ad fidem redierit, non rediretur, sed in pristina dignitate conservaretur. Et hanc etiam argumentationem magni æstimat Cajetanus, quæ tamen (ut verum loquar) nihil me movet. Fateor quidem hæreticos Episcopos quando ad Ecclesiam unitatem redeunt, solere recipi ad sedes suas: quamquam hoc male probat Cajetanus per illud cap. Maximum. 1. q. 7. Quoniam Maximum ille, de quo ibi est sermo, postquam ab hæresi Donatistarum ad Ecclesiam redierat, ordinatus fuit Episcopus: in quo gradu existens non fuit lapsus in hæresim. Sed quia male, & contra Ecclesiasticos Canones, ex laico sine ullo temporis intervallo in minoribus ordinibus servato, ordinatus fuerat Episcopus: ideo dubium erat, an in Episcopali dignitate manere deberet. Cui quæstioni Papa Leo respondet, quod licet reprehensibiliter ordinatus; ab Episcopali tamen dignitate non repellatur, dummodo libellum ad Papam mittat, quo catholicum se esse testetur. Itaque cap. illud nullo pacto nostro servit proposito. Quod facile constare poterit legenti epistolam Leonis 85. cujus cap. 3. sumptum est illud cap. Maximum. & cap. Donatum. Multum certe interest, an ipsas origines legas, an censionem illarum male dilaceratos. Hoc, quod Cajetanus probare vult, multo melius probasset per cap. conventibus. 1. q. 7. quod ex actis septimæ synodi, quæ fuit secunda Nicæna sumptum est. Illic enim decretum est; ut Episcopi, qui à fide Catholica defecerant, respicientes in suis sedibus tunc reciperentur. Sed hoc non ex necessitate juris: sed ex quadam misericordie dispensatione, factum est; ut apertissime constat per cap. si quis hæreticæ. 1. q. 7. Nam & si Episcopi hæretici sint jure divino sua Episcopali dignitate privati, Ecclesia tamen ex rationabili causa dispensat aliquando, ut reversus ad fidem dignitates pristina restituantur. Et talis restitutio pro nova electione, aut nova provisione habenda est. Nec mirari quisquam de hoc debet: quoniam idem in aliis multis necessario dicendum est. Clericus enim homicida eo ipso, quod commisit homicidium, incurrit irregularitatem, & est privatus beneficio, quod habebat, si tamen ex qua-

dam misericordia per Papam cum illo dispenseret, & beneficium illi restitueret, talis restitutio pro nova collatione æstimanda est. Sexto nobis objeunt cap. Audivimus. 24. q. 1. ubi de Episcopo hæc dicitur. Si autem in corde novam hæresim confinxit, ex quo talia prædicare cepit, neminem damare potuit. Ex quibus verbis inferre volunt, quod antequam Episcopus hæreticus prædicet, aut doceat, excommunicare, & damare potest, & inde evidentiissime colligitur, ut non eo ipso quo factus est hæreticus sit sua dignitate privatus. Hic argumentandi modus est debilissimus, quia per hoc, quod unum negatur, non est necessarium, ut dicamus aliud concedi. Deinde verba illa modo citata non sunt Alexandri secundi, cujus est illius cap. initium. Nam ab illo loco: Sin autem ex corde suo &c. verba sunt Gratiani, & inde exorditur secundam partem illius quæstionis. Auctoritas Gratiani non est tanti ponderis, ut me premere valeat, & à sententia mea discedere me cogat: præsertim cum tam multa ille alibi doceat, in quibus est ille ab omnibus necessario deferendus. Si tamen præfata Gratiani verba gratis recipere volumus, superiori illi sententiæ favere poterunt, qua probabiliter diximus mentalem hæreticum non esse jure divino depositum: quia (ut in responsione primæ argumentationis probabile esse diximus) fundamentum super quod Ecclesiastica potestas fundatur, non est sola fides interior: sed exterior fidei confessio. Sed quia per hoc oportet dicere, illum, qui exteriori fidei confessione careret, esse ipso jure privatum, quod nos aperte negavimus cum de facto Marcellini Papæ differimus: ideo in illis mihi videtur sententia, mentalem hæreticum esse etiam ipso jure privatum. Si cui tamen magis probetur alia sententia, dicere poterit Marcellinum quamvis fidem mente retinuerit, propter exteriorem infidelitatem eo ipso fuisse ex jure divino sua dignitate privatum: cum tamen à toto Concilio, coram quo suam culpam confessus est, toleratus fuit, eo ipso tacitis suffragis fuit iterum in Pontificem summum electus. Hæc sunt omnia, quæ ab adversariis contra præfatam nostram opinionem objeunt solent: sunt tamen quædam alia per me excogitata, quæ paulo magis urgere mihi videntur, quibus respondere etiam decrevi, ut inde nostræ sententiæ veritas clarius omnibus innoscat. Prima, quæ mihi se offert argumentatio, oritur ab æstimatione duarum potestatum ordinis, & iurisdictionis inter se comparatarum. Multo enim præstantior, atque nobilior est potestas ordinis, quam potestas iurisdictionis: sed potestas ordinis non habet fidem pro fundamento, nec illam exigit ad sui consistentiam: ergo potestas iurisdictionis, quæ minor est, non habet etiam fidem pro fundamento, neque illam ad sui consistentiam necessario requirit. Et inde evidenter colligitur illam per hæresim minime perdiri. Ex quo aperte sequitur, nec Papam, nec Episcopum, eo ipso, quod factus sit hæreticus, suam amittere dignitatem. Consequentia hujus argumentationis videtur nota per locum à majori ad minus negative. Minor etiam est manifesta ex his, quæ supra diximus, cap. 21. hujus lib. quia potestas ordinis non fundatur, nisi in characteris sacerdotali, & inde deducitur, quod sacerdos etiam si fiat hæreticus, numquam potest illam amittere. Majorem istius argumentationis, quæ forte alicui magis neganda videbitur, probat: quia potestas ordinis est supra corpus Christi verum, potestas autem iurisdictionis, non est nisi supra corpus Christi mysticum. Præterea potest-